



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 67. Mesinense, ac Panormitanum Societatis Collegium recens erectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI. A.C. 1548. *mandantes nihilominus universis, &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die ultima Julii Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Pontificatus nostri anno decimo quarto.*

§. LXVII.

Messinense, ac Panormitanum Societatis Collegium recens erectum.

Orland. l. c. n. 7. **O**btenta hac Pontificis approbatione mox præfatus libellus ex Hispano in latinum idioma translatus typis edebatur juxta Andreæ Frusii versionem, eoquod hic penitus Auctoris mentem assecutus, ejusque versio usui aptior, ac prælo dignior censeretur. Nova hæc editio hunc librum magis, quam unquam celebrem reddidit, ejusque Auctori adeo magnum comparavit nomen, ut ubique ejusdem socii expeterentur, nam Ludovicus Mendoza Tiburtinus Collegium in sua urbe eisdem construxit, & Joannis quoque de Vega Siciliae Prorex vix Messinam pervenerat, cum illico aliud Collegium erigere statueret. Panormitani etiam Messinensium exemplum imitabantur, hæcque duo Collegia post Gandense prima erant, in quibus scientiæ publice tradebantur. Porro ad horum Collegiorum regimen feligebantur Petrus Canisius
natione

natione Germanus, Andreas Frufius ^{Sæcul. XVI.}
 Gallus, Hieronymus Nidal, aliique, ^{A.C. 1548.}
 quos, priusquam discederent, ipse Sanctus Ignatius pro petenda benedictione Pontifici exhibuit, iique ab eodem summa benevolentia excepti, ad errores strenue impugnandos admoniti fuere.

§. XLVIII.

Societas per S. Ignatium a Melchioris Cani accusationibus vindicata.

Nihilominus Melchior Canus ex Orland. n. 45
 dine S. Dominici Theologus scientiæ ^{et seqq.}
 ac probitate longe clarissimus novæ hujus Societatis progressus sibi suspectos habebat, simulque eandem aliis suspicionem ingerere satagebat: unde ulteriora illius incrementa, quantum in ipso esset, præpedire nitebatur, ac contra hanc societatem recens natam, late tamen diffusam, nescio, quæ sinistra divulgabat præfagia, vi quorum universæ Ecclesiæ funesta admodum impenderent mala, eorumque causa, & origo D. Ignatii Discipuli essent extituri; verum quamvis hæc vaticinia haud magis vera esse viderentur, quam ejusdem hujus Religiosi somnia, quæ de proximo mundi interitu, atque Anti-Christi adventu sparserat, ejus tamen verbis ob Viri eruditionem, pietatem,